



The Holy See

IOANNES PP. XXIII

EPISTULA AD IOSEPHUM

S. R. E. CARDINALEM PIZZARDO,

EPISCOPUM ALBANENSEM ET PRAEFECTUM

S. CONGREGATIONIS SEMINARIIS STUDIORUMQUE

UNIVERSITATIBUS PRAEPOSITAE,

QUINQUE IMPLENTEM LUSTRA,

EX QUO IN SACRUM PURPURATORUM PATRUM

COLLEGIUM EST COOPTATUS QUINQUE CELEBRANTI* Quinque celebranti lustra, ex quo sacra Romana

purpura decoratus es, tam felicitis eventus memoriam votis ominibusque, quae sincero animi affectu promimus, tibi gratiorem et laetiolem facimus. Nec deest salutaribus precationibus gratulatio Nostra. Nam a secretis Sacri Consilii extraordinariis Ecclesiae negotiis praepositi et in Actionis Catholicae campo et finibus ingenio et sollertia praeditus, fructuosam operam impendisti. Posthac Purpuratorum Patrum Collegio ascitus, in Romana Curia multiplici industria et laboris patienti diligentia praegravibus perfunctus es muneribus; cum primis vero Sacro Consilio Seminariis Studiorumque Universitatibus praeposito Praefectus, magnae rerum provinciae consulens et Albanensis dioecesis sedulus Episcopus, praeclara tibi comparasti merita. Omnia fausta, omnia felicia cupientes, Deum supplici prece poscimus, ut te protegat, sospitet, donis caelestibus ditet, atque horum auspiciem, Apostolicam Benedictionem « magno corde et animo volenti » impertimus, quae caritatis in te Nostrae novum tibi sit testimonium et pignus. *Ex aedibus Vaticanis, die XII mensis*

Decembris anno MCMMLXII, Pontificatus Nostris

quinto.

*A.A.S., vol. LV (1963), n. 1, pp. 32-33.